

S. Rituum Congregationis, de die 23 Junii 1853 (n. 3016, antiq. 5190, ad 1) : « Missa in nuptiis semper debet esse Votiva pro Sponso et Sponsa ut in Missali, præterquam in Festis de præcepto, etc. » Attamen, Sacerdos non tenetur Missam pro Sponsis applicare, nisi ab iisdem stipendium acceperit. (Decret. S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, 1 Septembris 1841.)

Notatur quod in una Missa plures nuptiæ benedici possunt ; et tunc Orationes Benedictionis semel tantum dicuntur, et omnino prout dantur in Missali, absque ulla mutatione. (Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 542, Q. 9.)

(Cfr. Collationes Brugenses, I, 1896, pag. 96-101 ; IV, 1899, pag. 185-189 ; et V, 1900, pag. 314-319.)

CAPUT II

DE MISSIS PRO DEFUNCTIS

ARTICULUS I

DE MISSIS PRO DEFUNCTIS REGULÆ GENERALES

§ I. De numero Missarum pro Defunctis

Q. 310. *Quot, et quæ in Missali recensentur Missæ de Requiem ?*

R. In Missali recensentur quatuor diversæ Missæ de Requiem :

Prima inscribitur : *In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum*, estque propria pro hac generali Defunctorum Commemoratione, quæ celebratur quotannis die 2 Novembris.

Secunda inscribitur : *In die obitus seu depositionis Defuncti*, et dicitur in exsequiis alicujus Defuncti, unde vocatur *Exsequialis* ; dicitur etiam, ut patet ex Rubrica speciali posita post hanc Missam, *in die tertio, septimo, et trigesimo depositionis Defuncti*, exceptis Orationibus, quæ pro his diebus propriæ describuntur post hanc Rubricam.

Tertia inscribitur : *In Anniversario Defunctorum*.

Quarta inscribitur : *In Missis quotidianis Defunctorum* ; vocatur *Quotidiana*, et dicitur dum per annum Missa de *Requiem* pro uno, vel pro pluribus Defunctis celebratur extra dies supra recensitos.

Q. 311. *Quæ rationes dantur ab auctoribus, cur diversæ istæ Missæ ab Ecclesia præscribantur ?*

R. « Pia omnium Mater Ecclesia catholica, tum vivis tum defunctis filiis suis per salutare Missæ Sacrificium subvenire satagit. Ideo non tantum in die **Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum** offert pro omnibus divinum Sacrificium, sed illico post mortem pro quolibet in communionem suam defuncto Hostiam salutarem sacrificat, ejusque memoriam renovat die tertio, juxta exemplar Christi die tertio resurgentis, et die septimo, ad monitum Ecclesiastici (Cap. XXII, §. 13.) « Luctus mortui septem dies » ; **atque trigesimo die**, juxta exemplum filiorum Israel, qui triginta diebus fleverunt Moysen defunctum (Deuter., Cap. XXXIV, §. 8), complet dies luctus et planctus. Elapso dein anni curriculo, **anniversarium** celebrandi antiquissimum tenet usum ; et etiam per annum Hostiam vivificam pro Defunctis immolat. Hinc distinguuntur variæ Missæ de *Requiem*. » (Müller, *Theologia moralis*, Lib III, Tit. I, § 36.)

Alias mysticas rationes nos docent Gavantus *The-saurus sacrorum Rituum*, P. I, Tit. V, n. 3), et Cavalieri (*Opera*, Tom. III, Cap. IV, n. 1), qui de his diebus dicit : Die itaque tertio solemnior fieri solet mortuorum recordatio, ut pius Dominus, quidquid peccaverint cogitatione, verbo et opere, erga Deum, proximos et seip-sos, misericorditer indulgendo, Sanctæ Trinitatis similitudinem in eis restaurare dignetur. — Septimo quoque die, Josephi Ægypti Proregis instar, qui Jacob patris sui exsequias celebrans (Genesis, Cap. L., §. 10), implevit dies septem luctus. Septimus item dies Sabbathum est, symbolum futuræ quietis, unde Dominum Sabbati precamur ut requiem æternam eis donet ; etc.

Q. 312. *Quinam dies pro Defunctis censentur solemnes, seu privilegiati ?*

R. Ex enumeratione quatuor diversarum Missarum de *Requiem* statim jam deducere licet, tres primas Missas eas esse quæ dicendæ veniunt in diebus quos pro Defunctis **solemnes** seu **privilegiatos** quodammodo vocare licet, et qui sunt : Generalis Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, die 2 Novembris quotannis facta ; — deinde pro particularibus Defunctis : dies obitus, dies depositionis, et etiam dies intermedii obitum inter et depositionem ; necnon, juxta recentem dispositionem Rubricæ generalis reformatæ (Tit. V, n. 3), dies post acceptum nuntium de alicujus obitu ; — dies ab obitu seu depositione tertius, septimus et trigesimus ; — dies ab obitu seu depositione anniversarius. — Hisce diebus Missa pro Defunctis dicta censetur ritus duplicis, cum reliquis per annum diebus, qui non solemnes seu privilegiati sunt, Missa sit ritus simplicis. Et eo sensu Missa lecta, seu privata potest dici solemnitas, seu privilegiata, si nempe ritui duplici respondeat.

Ex his insuper diebus qui pro particularibus Defunctis solemnes sunt, potiores sunt dies ab obitu ad depositionem, minores vero reliqui.

Q. 313. *Speciatim indica quandonam unaquæque ex his quatuor Missis celebretur.*

R. I. **Prima Missa** dicitur : a) in Commemoratione Fidelium Omnium Defunctorum, 2 Novembris ;

b) in die obitus seu depositionis, in die tertio, septimo, trigesimo ac anniversario defuncti Papæ, Cardinalis et Episcopi, cum insertione illius propriæ Orationis, ex diversis quæ post quartam Missam assignantur, quæ dignitati Defuncti respondet. (Rubrica particularis Missalis, ad Orationes diversas pro Defunctis.) — Ecclesia enim hac agendi ratione summis dignitatibus vult etiam post mortem aliquam distinctionem tribuere, quia, quæ raro adhibentur pretiosa reputantur, neque quotidiana vilescunt consuetudine (Gavantus, *Thesaurus sacrorum Rituum*, P. IV, Tit. XVIII) ;

c) item in die obitus seu depositionis, in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario Sacerdotis, potest dici, cum Oratione propria pro Sacerdote.

Hanc primam Missam posse in casu dici pro Sacerdote Rubrica Missalis non indicat ; sed constat ex sequenti Decreto S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « Quænam dicenda sit Missa in die obitus vel depositionis alicujus defuncti Sacerdotis ; prima, quæ est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum cum Oratione : *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.* ; an illa, quæ est secundo loco posita, quæ est in die obitus seu depositionis in communi cum Oratione : *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes* ; et insuper quænam dicenda sit Missa in exsequiis solemnibus post sepulturam cadaveris ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Una vel altera Missa dici poterit in sepultura cadaveris vel in anniversario pro Sacerdote defuncto, dummodo pro eo Oratio : *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.* omnino adhibeatur. » (Decret. 29 Januarii 1752, n. 2417, ad 8. antiq. 4223, ad 14.)

II. **Secunda Missa** potest dici pro defuncto Sacerdote ; dicitur autem pro Clerico Sacerdote inferiori, et pro laico : in eorum die obitus seu depositionis ; item in omnibus Missis quæ celebrari de *Requiem* possunt a defuncti obitu usque ad factam sepulturam (cfr. Q. 344) ; item ad nuntium obitus alicujus in locis dissitis defuncti (cfr. Q. 346, 3^o) ; eadem Missa dicitur quoque, mutatis Orationibus, in die eorumdem tertio, septimo et trigesimo.

III. **Tertia Missa** potest dici pro defuncto Sacerdote ; dicitur autem pro Clerico Sacerdote inferiori, et pro laico : in eorum die anniversario.

IV. **Quarta Missa** sumitur pro omnibus Defunctorum Missis quæ in aliis anni diebus quam prædictis celebrantur, etiamsi pro Papa, Cardinali, Episcopo aut Sacerdote dicantur.

Q. 314. *In quibus conveniunt quatuor illæ Missæ ?*

R. In quatuor istis Missis pro Defunctis eadem sunt Introitus, Graduale, Tractus, Sequentia, Offertorium et Communio ; ita ut in omnibus conveniant, et una ab aliis non differat, nisi in Orationibus, Epistolis et Evangeliiis, quæ tria diversa in quatuor diversis Missis assignantur.

Q. 315. *Quid notat Rubrica circa Epistolas et Evangelia harum Missarum, et quis eorum usus saltem convenientior est ?*

R. Orationes diversas pro diversis casibus et circum-

stantiis, in his Missis dici debere indubium est. Quoad Epistolas et Evangelia autem, dicit specialis Rubrica in fine quartæ Missæ posita : « Epistolæ et Evangelia superius posita in una Missa pro Defunctis, dici possunt etiam in alia Missa similiter pro Defunctis. »

Huic Rubricæ, etiamsi late patenti, limites tamen præscribuntur.

Etenim, in die depositionis et anniversarii Summi Pontificis semper debere dici Epistolam et Evangelium ex prima Missa (non autem Orationem) patet, tum ex Rubrica posita ante Orationes diversas pro Defunctis, tum ex Decreto S. Rituum Congregationis, diei 31 Maji 1817 (n. 2578, ad 12, antiq. 4536, ad 13, 3^o) ; item, in die depositionis et anniversarii Episcoporum, eandem primam Missam (præter Orationem) esse dicendam, ex Rubrica indicatam sequente, et ex Decreto S. Rituum Congregationis, diei 5 Martii 1870 (n. 3213, antiq. 5445. ad 5), eruitur ; quæ dicta de die depositionis et anniversarii, valere etiam pro die tertio, septimo et trigesimo eorumdem Defunctorum, concludunt auctores.

Deinde, Missas primam, secundam et tertiam, cum respectivis Epistola et Evangelio, diebus qui in earum titulis inscribuntur esse dicendas, certe ipsos titulos ubertim evincere auctores plures affirmant, aut saltem convenire omnes dicunt ; quia ob quamdam congruitatem unicuique Missæ assignata fuerunt ; absonum enim merito censeretur, si in Missa exsequiali aliquis Sacerdos, unice quia placet, diceret hæc ex quarta Missa.

Permittit autem hæc Rubrica, exempli gratia : in Missa de *Requiem*, pro defuncto Sacerdote, quocumque die celebrata, legere Epistolam et Evangelium ex prima Missa ; — in Missa de *Requiem* non exsequiali, celebrata pro membro confraternitatis, societatis, collegii, in die quo Missa ordinaria seu, ut vocatur, quotidiana permittitur, legere Epistolam et Evangelium ex Missa secunda ; — in Missis de *Requiem* quotannis celebratis pro defunctis membris confraternitatis, societatis, collegii extra diem anniversarii proprie dicti, dicere Epistolam et Evangelium ex Missa tertia ; — tandem in Missa de *Requiem* quotidiana, loco Epistolæ et Evangelii ex quarta Missa, dicere Epistolam et Evangelium

ex una trium præcedentium Missarum, ad arbitrium ejus qui celebrat.

§ 2. De modo celebrandi Missas de « Requiem »

Q. 316. *Quid in celebranda quacumque Missa de Requiem, tum privata tum solenni, omittendum est, quid mutandum ?*

R. Quæ in celebratione Missæ de *Requiem*, pro diversis Missæ partibus, observanda veniunt, quoad omissionem, aut mutationem quarundam precum, quorundam rituum, sequentibus verbis indicat Rubrica Missalis :

« In Missa pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus : *Judica me Deus*, sed pronuntiata Antiphona : *Introibo ad altare Dei*, et responso a ministro : *Ad Deum, qui latificat etc.*, dicitur *¶. Adjutorium nostrum*, et Confessio, cum reliquis ut supra. Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum, non signat se, sed manu dextera extensa, facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur : *Gloria Patri*, sed post Psalmum repetitur : *Requiem æternam* ; nec dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Alleluja*, nec *Fube Domine benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo* ; nec osculatur librum in fine. Non dicitur *Credo*, non benedicatur aqua in Calicem fundenda : dicitur tamen Oratio : *Deus, qui humanæ substantiæ etc.* Cum lavat manus, in fine Psalmi *Lavabo inter innocentes*, non dicitur *Gloria Patri*. Ad *Agnus Dei* non dicitur : *miserere nobis*, cujus loco dicitur : *dona eis requiem* ; nec tertio : *dona nobis pacem*, cujus loco dicitur : *dona eis requiem sempiternam*, neque percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, scilicet : *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis etc.*, nec datur pax. In fine non dicitur : *Ite missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed *Requiescant in pace*. Et non datur Benedictio : sed dicto *Placeat*, et osculato Altari, dicitur, ut supra : *In principio erat Verbum etc.* Alia omnia ut in aliis Missis. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, n. 1.)

Quæ hic e Missali proponuntur, longius exponuntur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, ubi de Missis privatis de *Requiem* explicantur ritus et cære-

monia, Q. 305. Quæ proprie' pertinent ad ipsas Missæ Rubricas, exposita fuerunt partim in Sectione I præsentis Tractatus, et partim declarantur in sequentibus hujus Capitis Quæstionibus.

NOTA. In Missis de *Requiem* Sacra Communio fidelibus administrari potest ; ac si distribuitur ante vel post Missam de *Requiem*, Benedictio alias post distributionem extra Missam data omitti debet. (Decreta S. Rituum Congregationis, 24 Julii 1683, n. 1711, antiq. 3025, ad 2 ; et 27 Junii-23 Julii 1868, n. 3177, antiq. 5403, Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 190.)

Q. 317. *Quid insuper in celebratione Missæ solennis de Requiem servandum est ?*

R. « In Missa solenni non incensatur Altare ad Introitum, et Subdiaconus finita Epistola non osculatur manum Celebrantis nec benedicitur : Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum : non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum, sed duo tantum Acolythi sine candelabris stant unus a dexteris, et alter a sinistris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans : nec defertur liber Evangeliorum osculandus. Oblata et Altare incensantur ut supra ; incensatur solus Celebrans, et non incensantur alii. Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem : sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epistolæ illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa non osculantur ejus manum, neque rem, quæ porrigitur. »

« Si distribuendæ sunt candelæ, distribuantur post Epistolam, et accendantur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, et post Missam, dum fit Absolutio. Si habendus est sermo habeatur finita Missa ante Absolutionem. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, nn. 2, 3.)

Hæc e Missali hic descripta, longius exponuntur in Tractatu de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, ubi de Missa de *Requiem* solenni explicantur ritus et cæremonia, Q. 306.

Q. 318. *Quid animadvertendum est pro cantu in Missa solenni de Requiem ?*

R. 1° Celebrans uti debet, in cantu Orationum in Missa, tono simplici feriali ; in cantu Præfationis, et Orationis Dominicæ, cantu feriali.

2° Pro iis quæ a Choro, vel a cantoribus debent cantari, qualia sunt Introitus, Kyrie, Graduale, Tractus, Sequentia *Dies iræ*, etc., notari debet quod S. Rituum Congregatio pluribus Decretis requirit ut omnia cantentur. Etenim, per Decretum 11 Septembris 1847 (n. 2959, antiq. 5118, ad 2), rescripsit : « canenda esse omnia, quæ preactionem suffragii respiciunt » ; rogata vero ab Episcopo Portus Aloisii, « utrum verba illa « precatio suffragii » includant Sequentiam *Dies iræ*, quæ vix vocari potest oratio vel precatio ; item utrum in dictis Missis cantari necessario debet Offertorium », respondit : « Affirmative. » (Decr. 9 Maji 1857, n. 3051, antiq. 5243, ad 1.) — Quod autem rescripserat ad Episcopum Briocensem, postulantiem pro speciali gratia dispensationem super Sequentia *Dies iræ* cantanda, ob angustiam temporis et defectum cantorum, præsertim in ecclesiis ruralibus, scilicet : « aliquas strophas illius cantores prætermittere posse, » expunctum fuit e nova editione Decretorum. (Cfr. Decret. 12 Augusti 1854, antiq. n. 5208, ad 12, nunc n. 3029.) — Et recentius ad dubium ; « An sufficiat ut in quibusdam Missis de *Requiem*, anniversariis late sumptis quæ cum Diacono et Subdiacono cantantur, Sequentia *Dies iræ* legatur tantum a Celebrante, aut debeat etiam cantari a Choro ? » S. Congregatio rescripsit : « Negative ad primam partem ; Affirmative ad secundam. » (Decret. 2 Maji 1900, ad 6 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 459.)

Hic quoque notari potest quod docet Cæremoniale Episcoporum de cantu et usu organi in Missis Defunctorum. Regula dabatur primitus sequens : « In Missis et Officiis Defunctorum, nec organo, nec musica, quam figuratam vocant, utimur, sed cantu firmo. » (Lib. I, Cap. XXVIII, n. 13.) Attamen, in editione typica anni 1886, immutata aliquantum fuit hæc regula, nam eodem loco nunc legitur : « In Officiis Defunctorum organa non pulsantur ; in Missis autem, si musica adhibeatur, silent organa, cum silet cantus. »

Q. 319. *Quid generatim pro Missis de Requiem notandum est, relate ad Festum aut Officium occurrens, vel anni tempus, in quibus celebrantur?*

R. In Missis de *Requiem* nulla habetur ratio Festi aut Officii occurrentis, vel anni temporis, in quibus celebrantur; hæc omnino negliguntur, et nulla umquam fit eorum Commemoratio; nihil ex eis quæ in his specialia præscribuntur observatur; unde, Præfatio semper dicitur communis; in Oratione Canonis, quæ incipit *Communicantes*, nihil mutatur, et in fine semper dicitur Evangelium S. Joannis: *In principio*. Oratio imperata omittitur; nisi pro defuncto vel defunctis sit dicenda, quemadmodum expositum fuit Q. 131.

Preces autem, post Missas aliquando dicendæ ex præscripto Summi Pontificis aut Episcopi, etiam post Missas de *Requiem*, prout præscriptum fuerit dicuntur; et ita, sicuti post alias Missas lectas, etiam post Missas de *Requiem* privatas dicendæ sunt Preces (tria *Ave Maria* scilicet, cum *Salve Regina*, et Orationibus) a Leone XIII præscriptæ. — Quæ sint observanda pro his Precibus exponuntur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 324.

Q. 320. *An versus: Requiem æternam dona eis Domine; Requiescant in pace, et similes, aliquando mutari possunt?*

R. Quæcumque preces in proprio Missarum de *Requiem* mentionem habent animarum Defunctorum in numero plurali, in Introitu, Graduali, Tractu, Sequentia, Offertorio et Communione; item adprecatio *Requiescant in pace*, quæ in fine Missæ dicitur ante Orationem *Placeat, etc.*; semper, etiamsi pro uno tantum Missa celebraretur, plurali numero dici debent. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Januarii 1678, n. 1611, antiq. 2858.) — Dici potest in singulari *Requiescat in pace* tantum in Absolutione post Missam, quando Absolutio est pro uno Defuncto.

§ 3. De Orationibus in Missis de « Requiem »

Q. 321. *Describe diversas Orationes pro Defunctis, et indica quid in quibusdam sit animadvertendum.*

R. A. — In Missis quatuor pro Defunctis sequentes dantur Orationes:

1) In 1^a Missa; Oratio in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum:

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor: animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur: Qui vivis et regnas.

2) In 2^a Missa: Oratio in die obitus, seu depositionis Defuncti:

Deus cui proprium est misereri semper et parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti: ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam paradisi perducere; ut, quia in te speravit et credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat. Per Dominum.

Pro defuncta dicitur: *pro anima famulæ tuæ N.*

3) Post 2^{am} Missam: Oratio in die tertio, septimo, et trigesimo:

Quæsumus Domine, ut animæ famuli tui N. cujus depositionis diem tertium (vel septimum, vel trigesimum) commemoramus, sanctorum atque electorum tuorum largiri digneris consortium: et rorem misericordiæ tuæ perennem infundas. Per Dominum.

Pro defuncta dicitur: *ut animæ famulæ tuæ N.*

4) In 3^a Missa: Oratio in Anniversario Defunctorum:

Deus, indulgentiarum Domine: da animabus famulorum, famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dominum.

NOTA. a) Si pro uno masculo tantum celebratur Missa Anniversarii, dicitur: *da animæ famuli tui, cujus anniversarium.*

b) Si pro una femina tantum celebratur, dicitur: *da animæ famulæ tuæ, cujus anniversarium.*

Prædictas duas mutationes pluralis numeri in singularem proponit Missale pro casu quo Anniversarium pro uno, vel pro una tantum celebratur.

c) Si pro uno et una tantum fit Anniversarium (non rara enim sunt Anniversaria fundata pro patre et matre, vel pro marito et uxore), consultius erit dicere Orationem Missæ in plurali, nempe : *da animabus famulorum tuorum*, omissis verbis *famularumque tuarum*; verbum *famulorum* enim censi potest utrumque genus continere. — Non licet dicere : *da animabus famulæque tuæ, quorum anniversarium*; etenim ad dubium : « Si Missa de *Requiem* legatur pro uno et una defunctis, an liceat mutare Orationem hoc modo : *animabus famuli tui et famulæ tuæ* ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Negative. » (Decret. 14 Junii 1901, ad 9; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 403.)

d) Si pro pluribus masculis tantum fit Anniversarium, dicitur : *da animabus famulorum tuorum, quorum anniversarium*.

e) Si pro pluribus feminis tantum, dicitur : *da animabus famularum tuarum, quarum*.

5) In 4^a Missa : Oratio prima, pro defunctis Episcopis, seu Sacerdotibus :

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes, famulos tuos pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus ; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum.

6) In eadem Missa : Oratio secunda, pro defunctis fratribus, propinquis, et benefactoribus :

Deus, veniæ largitor, et humanæ salutis amator : quæsumus clementiam tuam ; ut nostræ congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. (Per Dominum.)

7) In eadem Missa : Oratio tertia, pro omnibus fidelibus defunctis :

Fidelium, Deus, etc. ; ut supra Oratio 1.

B. — Post Missas quatuor de *Requiem*, describuntur sequentes Orationes diversæ pro Defunctis :

1) In die depositionis, et anniversario Summi Pontificis :

Deus, qui inter summos sacerdotes famulum tuum N. ineffabili tua dispositione connumerari voluisti : præsta, quæsumus ; ut, qui unigeniti Filii tui vices in terris gerebat, sanctorum tuorum pontificum consortio perpetuo aggregetur. Per eundem Dominum nostrum.

2) Pro defuncto Episcopo :

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum N. pontificali fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus ; ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum.

Pro defuncto Sacerdote, dicitur eadem Oratio, sed ubi dicitur *pontificali*, dicatur *sacerdotali*. In Secreta et Postcommunione habentur verba : *famuli tui N. Pontificis* ; pro Sacerdote ibi dicitur *Sacerdotis* pro *Pontificis*. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Januarii 1752, n. 2417, ad 8, antiq. 4223, ad 14 ; et Q. 313, I.)

Si pro pluribus Episcopis Missa celebratur, dicitur : *famulos tuos pontificali..... aggregentur consortio* ; si pro pluribus Sacerdotibus, dicitur : *famulos tuos sacerdotali..... aggregentur consortio*.

Notat hic Missale, quæ Orationes sint dicendæ pro defunctis Cardinalibus, in quorum Collegio triplex distinguitur ordo, nempe Episcoporum, qui sex numero sunt, Presbyterorum, qui quinquaginta numerantur, et Diaconorum, qui quatuordecim sunt.

Omittimus quæ ad Episcopum Cardinalem, et ad Diaconum Cardinalem referuntur.

Pro Presbytero Cardinali, ait Missale, dicitur in Oratione quæ supra describitur : *famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem, sacerdotali fecisti dignitate etc.* Inter Presbyteros Cardinales quidam habentur, qui Sacerdotes tantum sunt, et non Episcopalem consecrationem acceperunt ; sed plerique ex eis sunt Episcopi, vel Romæ in Curia residentes, vel in diversis per orbem catholicum diocesisibus degentes ; pro his, qui consecrationem Episcopalem acceperunt, dicitur Oratio sequenti modo : *Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem, Pontificali fecisti dignitate vigere, etc.* In Secreta vero, et Postcommunio-